
# DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO - PRACTICA
PERTRACTANS
DIFFERENTIAS INTER
# RHEUMATISMUM
ET
# ARTHRITIDEM.

---

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
ILLUSTRISSIMI AC MAGNIFICI
DOMINI
PRAESIDIS ET DIRECTORIS,
CLARISSIMORUM AC CELEBERRIMORUM
*D. D. PROFESSORUM*,
PRO
DOCTORIS MEDICINAE ATQAE CHIRURGIAE
LAUREA, SUMMISQUE IN MEDICINA ET CHIRURGIA
HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE AC LEGITIME
CONSEQUENDIS IN
CELEBERRIMA ACADEMIA JOSEPHINA
MILITARI PUBLICAE DISQUISITIONI SUBMITTIT

**Josephus Slawik,**
Čechus Reginaehradecensis,
Medicus Castrensis.




---

In Theses adnexas disputabitur in palatio Academiae Josephinae die 2. Mensis Junii anni MDCCCXXXIV.

---

VINDOBONAE.
TIPIS LEOPOLDI GRUND.
(Währingergasse Nr. 275.)

Qui bene distinquit, bene medebitur.

*Schmalz.*

Vom Rheumatismus lässt sich die Gicht nicht durch ein einzelnes Kennzeichen, sondern nur durch die Zusammenstellung mehrerer unterscheiden.

*Scudamore.*

VITRICO SUO

PERDILECTO, BENEFACTORI AESTIMATISSIMO

JOANNI MICHAL,

ARTIS PHARMACEUTICAE MAGISTRO

IN PERENNIS GRATITUDINIS, PII AMORIS

ET SUMMAE VENERATIONIS

MONUMENTUM

HAS SCIENTIARUM ACADEMICARUM PRIMITIAS

SACRATAS ESSE VULT ET DEDICAT

gratissimus filius

*Auctor.*

Medici antiqui Rheumatismum quoque ac arthritidem ab una eademque causa, suppressa enim transpiratione cutis per refrigerium, quo materia peculiaris vaporosa ad eliminandum destinata, in fluidum densa, ad articulationes deposita, unice et unilateraliter deduxerunt, quod jam denominationes veteres, *uti defluxio ad articulos*, *fluxus*, *Rheuma*, *gutta*, sat demonstrant, quali ex theoria erronea multae confusiones exortae sunt, ita, ut perscrutanti libella eorum vix palam fit, an sit sermo de Rheumate an de Arthritide.

Galli Bollonius et Nicol Chènott, (prior intractatu de Rheumatismo Paris 1642,

posterior in observationum libr. V. Paris. 1672), nec non scrutator naturae fidelis *Sidenhamus* (anno 1735. Opp. omnia. Venetiis fol. 157. et seq.), primi meritum in separando, atque naturam utriusque morbi confirmando sibi conciliavere, priores naturam Rheumatismi posterior in classico suo tractatu de Podagra, Arthritidis confirmavere.

His recentiones sequuti, profundiusque morbos indagantes differentias sat multas atquae essentiales, quoad originem, dispositionem, diversi temporis evolutionem, causas excitantes, sedem, symptomata, decursum, terminationes, prognosim, methodum medendi invenere. His sequens et ego differentias singulorum momentorum istorum inter Rheumatismum et Arthritidem in pagellis meis exponere conabo, et quintu-

plici respectu morbi isti a se invicem differre videntur.

I. Quoad essentiam, seu determinationem.

II. Quoad etiologiam et quidem.

*a*) Quoad causas disponentes.

*b*) Quoad causas occasionales.

III. Quoad symptomatologiam sedem decursum, exitum.

IV. Quoad Prognosim.

V. Quoad Therapiam.

# I.

## Differentia quoad Essentiam.

Rheumatismus (quo sub nomine generico omnes species et denominationes auctorum colligo, Rheuma recens, afebrile, Rheuma chronicum s. inveteratum, s. habituale, s. crymodinia, febris rheumatica, inflammatio rheumatica et quidem neuvritica, splanchnica, Rheuma artuum, articulorum, Arthrophlogosis: Arthritis rheumatica), est morbus sui generis, consistens in morbosa congestione seu irritatione inflammatoria organorum membranaceorum, humores serosas conducentium et secernentium, quae a turbata functione cutis, *in specie ex sup-*

*pressa functione transpirationis per refrigerium* producta, cujus essentialia symptomata, *tensiones inamenae et dolores vagi*, *lacernantes* et *lacinantes* sistunt, quae iterum secundum irritabilitatem et sensilitatem individui, aut partis adfectae, secundum in et extensitatem causae occasionalis, secundum stadium morbi, varie modificati inveniuntur.

Syphilis scorbutus, discrasia carcinomatosa pluresque aliae, inprimis efflorescentiae cutaneae suppressae scabies, Herpes, Tinea, Blenorrhea dolores rheumaticis similes producunt, quae sub nomine Rheumatismi spurii obveniunt, a quibus Rheumatismus proprie sic diatus sede, causa occasionali et symptomate characteristico, nempe dolore proprio vagoque discernitur (F. ab *Hildenbrand* inst. pract. med. T. III

et a *Raimann* o. c. I. Band, pag. 144, 146.)

Arthritis (cui, nomini generico omnes modificationes et formas Arthritidis, uti morbus articularis, gutta, Podagra, passio podagrica, Chiragra subjicio), est morbus specificus et universalis, ex specifica affectione organorum vitae plasticae inservientium, inprimis digerentium praecipue *hepatis* exortus, cum se et excretionibus quantitate et qualitate pecantibus, inprimis *bili*, *urina* salibus et acido orbata, *transpiratione cutanea* retardata, conjunctus, ad gradum majorem evectus, febre specifica arthritica, nonnunquam phlogosi articulorum extremorum, et nisu in secretiones morbosas humorum, calcis phosphate inpregnatorum, stipatus. Inprimis secretiones qualitate turbantur, minori copia evehuntur; inprimis

urina, cujus non solum ingenere minus excernitur, sed et sales phosphorici, ad ejiciendum destinati, retinentur, vel saltem ab alio collutorio inperfecte evacuantur, aut vasis capillaribus alius cujusdam Organi, inprimis ligamentorum artriculorum, vaginarum tendinum insufficienter et incongrue excernuntur. (F. C. L. Kreisig's Handbuch der practischen Krankheitslehre. Leipzig und Altenburg. a Raimann o. c. 2. Theil. Seite 502. Berends Handbuch der practischen Arzeneiwissenschaft. 4. Band. Seite 201 et seq.)

## II.

## Differentiae quoad Aetiologiam.

---

### *A. Quoad causas disponentes.*

1. Dispositio propria ad Rheumatismum non datur, nisi ad illam cutem teneram debilem, emollitam, contra vicissitudines aëris nimis sensilem adnumerare velis, et homines ceteroquin sanissimi repente ab ipso corripiuntur.

Dispositio ad arthritidem vero, est propria et peculiaris, consistens in turbis organorum digestionis, inprimis hepatis, nec non in plethora abdominali, ante 30$^{simum}$ annum raro sesse volvit et ante introitum febris, dolorumque, per plures annos prae-

cedit. Arthritis sine peculiari dispositione sesse evolvere non potest. (Berends Handbuch. 4. Bd. S. 187.)

2. Rheumatismus semper est morbus acquisitus.

Arthritis autem hereditate a patre ad filios, nepotes etc. etc. transplantatur, quod *Boerhaave* (Aphoris 1255), *Fr. Hofmann* (opp. C. de generatione Sect. I. C. 10.), *Sidenham* (opp. de Podagra p. 158.) *Stark* (Handbuch zur Erkenntniß und Heilung innerer Krankheiten. Jena 1800. 1. Thl. S. 77.) et *Berends* (o. c. p. 184.) testantur.

3. Rheumatismus nemini hominum, nullius sexus, nulliusque aetatis parcit, eosque omni tempore sub data occasione sufficiente ingruit.

Arthritis autem magis aetati seniori, virili, aut adhuc provectiori a 30 usque

citer 60 annorum est congruus; rarius feminae, nisi sint vetulae aut viragines, aut virili habitu preditae seu in annis climatericis versantes, hystericae hoemorrhoidibus laborantes, adhuc rarius juvenes rarissime autem infantes ab Arthritide corripiuntur. (*Sidenham, Selle, Kreisig, Berends.*)

4. Habitus rheumaticus peculiaris non datur.

Arthriticus habitus revera dignoscitur, certo tempore sese evolvit, constitutione robusta, pastosa, plethorica, cranio grande, ossibus magnis (*Sidenham*) thorace amplo, venis tumescentibus, fibra laxa, temperamento sanguineo, aut cholerico, aut cholerico melancholico, digestione et assimilatione rapida sese manifestans. Sensibilitas et irritabilitas eorum est adaucta, imaginatio vivida, ingenium acre, Bacho et Cereri li-

benter libant, citto digerunt, sed praemature turbis digestionis, praesertim obstructionibus abdominalibus exponuntur. (*Sidenham Barthez.*)

*B. Quoad causas occasinales.*

1. Rheumatismus semper una eademque, semperque nota excitatur causa occasionali suppressione transpirationis cutis per refrigerium; haec causa cito agit, et Rheumatismus brevi insequitur.

Arthritidis causae sunt multiplices, magis pertinaces, diutius durantes, et sensim sensimque agunt, omnesque inprimis ad abdomen spectantes, et arthritis successive evolvitur. Refecuntur at causas Arthritidis.

*a*) Nutrimenta quantitate et qualitate peccantia, nimia copia ingesta, polytropha, stimulantia, pinquia, aromatibus condita, inprimis abusus victus anima-

lis, carnis ferarum, animalium saginatorum, casei.

*b*) Abusus potuum spirituosorum, inprimis vini recentis acris vel aciduli, Austriaci, Rhenani, Campanensis, Portensis, vini e pomis, liquorum fermentatorum, caldae anglicae (Punsch).

*c*) Abusus Veneris, Venus praematura, immodica, nimis frequens, evagans, Onania.

*d*) Animi adfectus et pathemata excitantia et deprimentia, ira frequens, vehemens, reiterata, curae, metus, timor, invidia, diu affligentia. Causae istae jam ob omni aevo Arthritidi ansam dedisse, omnes consentiunt auctores, et signanter Roolei dicit, Bachus hujus infantis pater, Venus mater et ira obstetrix est.

*e*) Intentiones corporis nimiae, inprimis

mentis, studia mox post prandium inchoata aut pervigilia studiis expleta.

*f*) Vita otiosa, sedentaria, deses, cui antea vita activa praecedebat, somnus nimis protractus, ventriculus opletus ante somnum.

*g*) Efflorexcentiae cutaneae et secretiones variae suppressae, imprimis bilis, urinae, sudoris, alvi, aër impurus humidus, aut nimis calidus.

*h*) Etiam contagio specifico transplantatur, quod in sudore haeret, et contactu mediato exoriri potest (*v. Hellmont*, *v. Swieten*, *Stark*, *Berends*).

Arthritis non refrigerio per se exoritur, hinc aegroti sub insultu, nunquam refrigerium sed potius pressionem aut ictum ceu causam accusant (*Schmalz*).

Cuisque insultui novo rheumatico refri-

gerium qua causa subest. Arthritici insultus sine causa nova perdurant.

2. Rheumatismus semper influxibus externis causatur, hisque adstringitur, morbus est quoad originem semper fortuitus.

Arthritis causis internis evolvitur, sustinetur, hinc nunquam fortuitus, sed morbus internus in et per se.

3. Rheumatismus nunquam quid contagii recludit, nec more contagiorum transplantatur, licet Rheumatismus epidemice et endemice regnans ob vicissitudines temporum atque locorum non raro reperitur.

Arthritidem quidquam contagii continere et sudore transplantari posse, multis observationibus probatum (*Berends*) Arthritis saepissime sporadice obvenit, licet

Stollius 1782 epidemiam arthriticam observavit. (Rat. med. P. V. p. 430).

4. Ostium, quo causa occasionalis Rheumatismum creat, unicum cutis est.

Atria Arthritides sunt omnia organa, que digestioni et assimilationi inserviunt, licet etiam cutis ad sustinendam et provocandam Arthritidem suum contribuere potest.

---

*

## III.

## Differentia quoad Symptomatologiam.

1. Rheumatismus causa externa repente exoritur, nullum habet stadium praeparationis.

Arthritis qua morbus evolutionis pedetentim et tarde praeparatur, sensim sensimque organa proserpit, et paroxysmi sunt quasi molimina naturae, materias exortas noxas *critice* quasi in locum quendam deponendi, hinc habet stadium prodromorum, exoritur in aetate adultiori, Therapia est difficilior (*Richter*).

2. Rheumatismus non habet stadium prodromorum.

In Arthritide semper istud observatur, idque characteristicum, molimina ad Arthritidem Disarthritis dicta, que per hebdomadas, menses imo annos praecurrunt, et prodromis Hypochondriae, Haemorrhoidum similima sunt.

Ista molimina ad Arthritidem sunt triplici generis, consistunt

*a*) In turbata digestione, dolor premens, gravans in ventriculo, ructus acidi, amari, intumescentia abdominis, sapor inamoenus lingua et cavum oris muco albo obtecta, polycholia, status pituitosus, blenorrheae, alvus aut obstipa aut laxa.

*b*) In passione jam incipiente organorum topicae affectionis, sensatio frigoris in extremitatibus vagans, sensatio venti ibi sursum et deorsum scandentis, vel

guttarum frigidarum decidentium, alias tensio spasmodica, gravitatis aut caloris ibidem sensatio.

*c*) In perturbata sensilitate, morositas, pigrities, animus depressus, affectus hypochondriaci, haemorrhoidum et mensium ataxiae, pulsus accelleratus, irregularis, adspectus deformis, collapsus.

3. Febris in Rheumatismo secundum gradum illius est minor aut gravior, sed semper cum nota inflammatoria, frigus subsequensque calor major, pulsus frequens, plenus duriusculus aut durus, sitis magna, urina rubra, flammea, sanquis emissus crustam format inflammatoriam, et ad vesperas adaugetur.

Febris Arthritica, quae ab affectione locali inprimis dependet, aut plane nullo frigore, potius horripilatione intrat, calor

subsequens minoris gradus, pulsus quidquam frequentior ab initio duriusculus; mox mollis, mordinatus, urina turbida, sitis fere nulla (*Vogel*, *Haase*).

4. Affectio localis in morbis utrisque est simillima, et causam sistit, quod isti morbi saepius confundantur. Inflammatio articulorum rheumatica semper est vehementior quam arthritica, in singulis momentis destrinquitur.

*a*) Quoad articulos adfertos, Rheumatica affectio plerumque in articulis majoribus, humeri, cubiti, genu, rarissime in articulis digitorum sedem habet.

Arthritis vero praeter articulos majores, et minores, digitorum manus et pedis corripit (*Podagra*, *Chirargra*, *Schmalz*).

*b*) Quoad dolorem. In Rheumatismo est lancinans, scindens, pungens, premens,

adstringens, calore lecti adaugens, aequabiliter divisus (*Schmalz*).

In Arthritide premens, mordens, rodens ardens, quasi a ferro candente, in uno puncto concentratus, quasi ab instrumento intruso (*Schmalz*) et calore lecti diminuitur.

*c*) Quoad ruborem. In Rheumatismo est rubor levis, superficialis, nonnunquam plane abest, si affectio profundius haeret.

In Arthritide semper est praesto, erisipelaceo similis, non circumscriptus.

*d*) Quoad tumorem. In Rheumatismo plane nullus conspicitur, nisi partes superficiales corripiantur, ubi levior.

In Arthritide semper adest, est visibilis, et si apparet, tunc febris et dolores remittunt, est aut duriusculus aut oedematosus, mollis, aut vehementior, aut parum, aut plane non dolens, magnus et perstans (*Schmalz.*)

c) In Inflammatione rheumatica cutis non desquamatur.

In Arthritica cuticula aut furfurum aut squamularum forma decidit.

5) In Rheumatismo affectiones a partibus perifericis ad centrales migrant.

In Arthritide a partibus in ad externas.

6) In Rheumatismo nullus adest nisus in formandos calculos, aut producendas excrescentias osseas (*Tophi*).

Arthritidem saepissime morbi viarum urinalium aut haemorrhoides concomitantur, aut cum ista in nexu versantur (*Stoll a Raimann.*)

7) Rheumatismus mox plures articulos plectit.

Arthritis raro plures, sed plerumque unum alterumque articulum (*Stoll*).

8) Sudores in Rheumatismo errumpen-

tes sunt magis symptomatici, non relevant, nec acidum redolent, nec sunt viscosi.

Sudores in Arthritide acuta post singulos paroxysmos erumpentes, revera critici pro parte adfecta sunt, levamen adferunt, crassi viscidi, acidum redolentes, exsicati pulverem cretaceum mollem, nitentemque praestant (*Stoll*, *Scudamore.*)

9) Rheumatismus ab initio vagus, si diutius perstat, magis in uno loco fixus evadit.

Arthritis quo junior, eo magis fixa, quo vetustior, eo magis vaga.

## IV.

# Differentiae quoad Prognosim.

1) Rheumatismus licet dolorificus plus timores quam periculi incutit. (ab *Hildenbrand.*)

Arthritis vero semper est morbus gravis, valde trucidans, imo periculosus, saepius perniciosus.

2) Rheumatismus in primo suo exordio facile tolli potest, imo conducit vix erumpentem suffocare.

Arthritis semel exorta, violenter supressa magnas et periculosas producit turbas, et sensim sensimque est extinquendus.

3) In genere Rheumatismus est morbus levior, et partes internas petens, nun-

quam periculi expers, tamen facilior curandus therapia juste adhibeta.

Arthritis partibus internis periculiosior, et cardialgias, colicas, astma, imo apoplexiam conducere valet.

4) Juvenes Rheumatismo correpti, illoque liberati longam adhuc vivunt vitam.
Arthritici juvenes vix longum adtingunt.

5) Rheumatismus saepe citissime tollitur.
Arthritis semper longum atque protractum exposcit tractamen.

---

## V.

# Differentiae quoad Therapiam.

---

Rheumatismus, omnium symptomatum peculiarium expers, sine omnibus paroxysmis peculiaribus, Therapia generali, secundum stadia istius et gradum modificata, sanatur, et cura est semper aequalis.

Arthritis secundum illius stadia, prodnomorum, paroxysmi, et post paroxysmum, therapiam exposcit in quolibet stadio varie modificatam et stadio adaptatam, ita partim prophilacticam, mox palliativam, mox solventem, mox specificam.

1) Quum in Rheumatismo febris plus minusve ad synocham accedat, inflammationibus plus minus gravibus stipata,

hinc apparatus antiphlogisticus toto in ambitu cum sanquinis depletionibus universalibus et localibus nec non Nitro freqnentius concedendus.

Experientia teste Arthritis, etiam acuta, sanguinis depletiones rarius bene fert, nisi inflammationes graviores organorum nobilum uti Encephalitis, Pneumonia accessa etc. illas exposcat, et tum summa cum circum spectione instituenda, nisi malum arthriticum loco sanandi, exasperare malis.

---

# Litteratura.

*Hirsekorn*, Dissertatio, sistens Arthritis et Rheumatismi diagnosim. Erlang. 1787.

*Ascher*, tentamen, qua ratione Rheumatismus ab Arthritide differat. Götting. 1791.

*Richter*, specielle Therapie, nach den hinterlassenen Papieren herausgegeben von *G. A. Richter*.

*S. C. Vogel*, Handbuch für practische Aerzte. Wien 1828. 2. Bd. S. 110. §. 131.

*D. K. G. Schmalz*, Versuch einer medic. chirurgischen Diagnostik in Tabellen. Dresden und Leipzig 1825. Fol. S. 15 u. 16.

*J. N. Edler von Raimann*, Handbuch der speciellen medicin. Pathologie und Therapie. Wien 1826. 1. Theil. S. 409. §. 454, und 2. Theil. S. 503. §. 1281.

*D. Chr. Selle*, medicina clinica, oder: Handbuch der medicinischen Praxis.

*Theden*, Unterricht für die Unter- und Wundärzte etc. 2. Auflage. S. 200.

*J. Adamek*, Dissertatio inaug. medica. Viennae 1830.

# Theses defendendae.

1. Rheumatismus ab Arthritide differt, et quidem essentialiter.
2. Formulae medicamentorum nimis compositae raro rationales.
3. Arthritis in organis abdominalibus causam invenit suam.
4. Differt Typhus a febri nervosa.
5. Organismus humanus non vivit pari viper omniae sua systemata et organa omni tempore.
6. Diarrhea purgantibus, vomitus emeticis saepe optime tollitur.
7. Per extirpationem mammae carcinomatosae cura radicalis induci non potest.
8. Salus infantis, nondum utero enixi, matris saluti postponenda.
9. Non dantur certa criteria virginitatis.
10. Medicus qui discernit, ubi sit agendum, et ubi exspectandum, vera pollet arte hypocratica.
11. Nosocomium necessaria medico juveni Sparta.